Ad Quodlibetariam

Quaestio medica matutinis excutienda disputationibus die Jovis 17 febru. In Schol. Medic. Paris.

D. Hieronymo Laquet D. M. Moderatore prudentissimo.

Potestne Mulier non menstrualis utero gerere?

Muliebre profluvium triplex, καταμήνιον, λόχεια, καὶ ῥοῦς γυναικεῖος; lochia sunt puerperiis menstruis fluxa; καταμήνιον menses, qui si albi fuerint tolerabiles adhuc, et parvis puellis infesti, infaustique; non καταμήνιον ultra, sed ῥοῦς γυναικεῖος nominatur. Hic fluor ob uteri cacochymiam expurgat. Illa duo mulieribus ita propria sunt, ut sine his mulier nec salubriter degere, nec excipere, nec concipere, nec gerere posse putetur. Menstruum porro alterum ortus nostri primordium, tertiae coctionis et partium carnosarum (ut spermaticarum semen) utile et benignum excrementum, nullius alienae, malignaeque qualitatis particeps, sola molestum copia, sui excretionem quandam naturalem expostulat. Etenim natura, quae mulieribus pati menstrua voluit, aliae in venis redundare solita, et exilem muliebre corpus subdit ἀραιότερον foris, et densum ut sudare negata et prohibita (quae in viris multa est perspiratio) plurimum materiae menstrualis ad uterum naturae feracissimum campum affundit. Hac haemorrhagia systematica, natura ita destinante, in mulieribus constitutis, aut gerentibus, statim ad muliebres locos dirigitur, effluit vero in venis, et viae nondum expeditae, locum quidem nacta, et evitare magis, quam naturae loco cedunt.

Hinc Menstruales dicuntur, quibus prodeunt menstrua definito naturae loco tempore, 14°: nunquam fere 9°: 11°, 12° rarissime: 20° quod est menstruorum longissimum tempus. Muliebria periodico fluunt, non lunae periodo (nec enim certo descripta circuitu, nec certis lunae quadraturis, non pari quantitate, nec dierum numero) sed solius naturae vi et consuetudine, quae menstruis intervallis menstruam excretionem molitur. aliae intra biduum, triduum felicissime: 4, 5, 7 diebus, minus tempestive, et raro expurgantur, si non haemorrhoidales fuerint. Senibus enim et quibus aliter supprimuntur, sanguis ab uteri vasis ad sedis venas diverterus, quinquagesimo-anno ... Pubertes par est esse menstruales, non impuberes, quibus praematurae menstruorum exitus vitae brevitatem, ut diuturnitatem tarde denunciat. Virorum, et brevibus paulatina productaque, vetera sunt: quadragenariae, quinquagenariae, ut purgationis muliebris molestia, sic partus labore plerumque defunguntur. Est enim menstruorum et partus idem principium, idemque; finis ut nec prius 35, sic nec posterius 40 desinunt: frequentissimus vero, aliquando menstrualis, et foecundus observatus, sterilis est.

Uteri, unica membrana constantis, nihilque ad generationem, et menstruorum dolationem conferentis, motio (quae propria est eius vim in femina latentem excitantis actio) plurimis indiget, optimo corporis habitu, sanis visceribus, integris genitalibus: illis quidem ad foecundandum, utilemque materiam producendam: his ad recondendam, bona aetate, viro maturo, uteri probo temperie, feminae, virili multo parciore, menstruo et coitus frequentia copioso: his contraria vitia concipiendi spem adimunt. Immatura aetas, nec viro tempestiva est omnio ad conceptum injecta, et impuberis consuetudo viro cavenda, nec senior aetas magis opportuna: uteri semen, (ex omnibus corporis partibus manans) suscepturi qualibet intemperies, mulieres conceptu vetat. Pinguium et valde obesarum delectabilis quidem amplexus, infoecundus tamen. Gracilium, et extenuatarum, licet minus jucunda societas, feracior tamen: obesulae macilentis difficilius concipiunt, generant tamen consistentioris viris coniunctae. Virum genitale nulla parte deficiens, si valentis coloni curam, cultumque nanciscatur, gratiosa Juvenis maritalis irrigatio perfusum plane sobolescit. Cacheticae ad concipiendum, nec aptae, nec idoneae. Semen muliebre per se foecundum, morbosum tamen non profert κύημα ἰθαγενές, molas verius etiam solitarium, falsi conceptus, aut foetus abortivi genitivum. Scortillorum carum semen, stata voluptas, starius conceptus. Coitus stupratas, invitas, coactas inanis, et steriles: foecundus voluntarias.

Mulier porro ad uterum gerendum nata comparata est: uterus spontaneo, obscuroque prolapsu, vel geniali humore defraudatus, vel diuturniore vacuus nova irritatus, coniunctionis desiderio, saepe ultro descendit, cui malo medendo mas satis; illa genitalis turris sucto libidinem explet, viriique deplerione impletur, velut παιδοποιεῖσθαι ζῷον ante conceptum: concipit vero seminis, et menstrui vi: semen ut suo sinu promit, et profundit indigitinum: at menstruorum decursu in uterum ad foetum formandum, alendum, augendum, dum laxatis uteri vegetalis id quod quondam gratum fuit laborioso et clamoso enixu excludat. Hoc plurimum fit semel mensibus in mense: nonnunquam bis, aut ter virginibus, lactantibus, viduis; plenis supprimitur, plerisque maxima gestationis parte pro conditione incolumi foetu, quibus frequens Phlebotomia prodest. Vigiles, somnolentae, desides, iracundae, ebriae paucum menstruum gignunt. Steriles omnes longiore vita fruuntur, sed valetudinaria: puerperae breviore, sed sana.

Mulieres Con

Mulieres conceptuae menstrua purgatio (quae nec in junioribus, nec in senioribus prolifica) commodo possunt carere. Quid contestata sanguinis maturitate primae conceptum, menstruorum necessitas ex sanguinis redundantia nascitur. potest ne sanguis vacuatus sanitas(?) esse conceptum? Multitudo mensium ad concipiendi facilitatem nec addit, nec demit. Pubescentes largiores, grandiores parciores, provectae parcos et paucos profundunt. Vere majori, aestate minori copia, menses nonnunquam intermisso, nec tamen magis, aut minus foecundae: Imo menstrui sanguinis quantitas mulierem facit infoecundam. At conceptus contingit mulieribus à menstruorum profluvio? Contingit etiam multis sine eorundem secessu: virgines ante menstruam purgationem compressae concipiunt; nutrices, puerperae, priusquam recurrant tempora sueta(?) gravidantur. flores fructum antecedere debent? Sic est omnino: et sane mulieribus idem quod plantis accidit, quibus decessi flores putantur. Mulieres menstruum colligunt, non ejiciunt: menses ad conceptum, non effluvium dati. Equidem si duo adsint, semen foemininum foecundum, et menstruum, frustra dejectio expetitur.

Ergo Mulier non Menstrualis potest utero gerere.

Asserebat Stephanus Lafont Arvernus, Anno Domini. 1605.

D. Doctores disputaturi.

M. Germanus Clerselier.
M. Robertus le Becq.
M. Ricardus Marcetz.

M. Hieronymus Taquet Pratel.
M. Simon Bazin.
M. Nicolaus Pietre.

M. Nicolaus Elain.
M. Guillelmus de Baillou.
M. Henricus de Monantheuil Prof. reg.